



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Quando aliquid tibi quod delectabile est subtrahere aut vitare volueris  
precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

**D** Vlcis Iesu, Deus meus, si mihi dares optionem & promitteres quæcunq; peterem te daturum, nō aliud quam hoc peterem, & hoc millies & millies peto, vt laudabilissima voluntas tua secundū optimum beneplacitum tuum in me, de me & per me, & in omnibus fiat, Amen.

*Quando aliquid tibi quod delectabile est, subtrahere aut vitare volueris, dicito.*

**D** Omne Iesu Christe ad honorem & memoriam tui, & in gratiarum actione, quod pro meis peccatis satisfaciendo, propter me quæ carni duriora erant semper elegisti, & à noxia omni delectatione immunis fuisti, quæso te, da mihi sensuum meorum continentiam, vitiatorumq; omnium, passionum, delectationū & affectionum inordinatarum perfectam mortificationem.

Dulcis Iesu in vnione amoris tui, quo propter me delectabilia tibi subtraxisti, volo me continere à delectatione hac: vel volo intermittere, aut carere hac re siue consolatione. Da mihi pie Iesu, vt syncerè & purè propter gloriam tuam hoc velim, possim, & perficiam iuxta beneplacitum tuum, Amen.

*Pro imploratione diuini auxilij in tempore aduersitatis & tribulationis, precatio.*

**O** Afflictorum requies & desolatorum summa consolatio Christe Iesu amabilissime, qui tempore tuæ acerbæ derelictionis clamore valido preces tuas in Cruce ad Patrem tuum cœlestem fudisti, vt similiter & nos, aut tentationibus traxijs immerfi, aut molestijs & grauaminibus obruti ad te pro auxilio clamaremus, exaudi quæso me propitius in hora tribulationis & angustia, in tempore horroris & desolationis extremæ ad te clamantem, atq; oculis consuetæ tuæ pietatis super me benigne respice, ab omniq; noxia dæmonum impugnatione me erue, ne fortè supergaudeat mihi inimicus meus, & dica: Præualui aduersus eum.

O Deus immense, fortis atq; terribilis, suscipe clamorem vermiculi & exigui puluisculi tui in folio regni tui, in cœlo sancto tuo validè fortiterq; clamantis & eulantis, quoniam de nullis viribus meis confido, nec tantam in me fortitudinem reperio, vt possim resistere his, qui de die in diem quæruni perdere animam meam. Igitur nunc & deinceps omnem meam spem in te reponam, omnes causas meas quæ fidelissime tibi committam, vt tu pro me pugnes, hostiumq; meorum insidias & impetus potenti tua virtute destruas, Amen.

*Pro confortatione in tribulatione, precatio.*

**O** Desperatorum fortitudo Christe Iesu, qui mundo deperdito ac quasi desperato nouam in tua assumpta humanitate aduexisti salutem: obsecro te per illas acerbissimas passiones & dolores, quos benedictissima ac intemerata mater tua semper virgo Maria, in sua sanctissima anima sensit, quando te in cruce propter poenarum, & angustiarum vehementiam valido clamore anxioq; corde clamantem audiuit, penèq; squalore & sanguinis exhaustionem confectum & consumptum vidit, vt eadem fidelitate, constantia, & animi fortitudine, sicut illa tunc tibi assistit, mihi quoque cruci tuæ astare immobiliter concedas, neq; vlla aduersitate aut iniuriarum quarumcunq; me frangi permittas perpessione, sed magis diuina tua virtute me conforta, corrobora, & vires patiendi adiuuistra, vt tibi possim placere, ac in omni rerum euentu patientiam seruare, Amen.

*Multa*